



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 11. Capita vitulina in humanum versa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

proditores non mererentur vocem amittere, si sanctissimus alioqui sacerdos Zacharias mutus in pœnam factus est, quòd non statim credidisset, se tam diuturna sterilitate esse liberatum?

§. XI.

Capita vitulina in humanum versa.

Quamquam non tantum tunc monstrum est, quando humana facies in bestiae figuram mutatur. Magnum quoque monstrum & terribile est, quando bestiae caput in caput hominis vertitur. Winshemij efferae mentis sicarius, homicidia haud pauca iam pridem perpetraverat, praegnantesque adeo ipsas exciderat; sed ubi scelerum suorum mensuram implevit, rotamque & rogo maturus fuit, eiusmodi prodigio est manifestatus. Hebdomade sacra, quae Pascha antecedit, macellum adiit, & in tres dies festos tria capita vitulina emit, eaque in saccum reticulatum coniecta domum reportavit. Dum iret per plateas, omnium oculos traxit existimantium eum ferre capita tria humana; utque spectaculum crudelius videretur, recens à capiribus sanguis dimanabat. Mota est suspicio, crevit rumor, fama ijt per totam civitatem, tandem

Manlius
V. Prae-
cept.

tandemque res etiam delata est ad Magistratum. Mittitur licitor, citatur reus, interrogatur de capitibus. Respondet, ea non hominum fuisse, sed vitulorum. Ait, hanc se rem planam facere posse teste lanione, à quo præstinârit. Adducitur lanio, affirmat. Tantò igitur maior inde orta dubitatio. Nempe, tot oculos falli non potuisse; prodigia gratis non accidere; sanguinis vestigia aliquid elamare, dicebant omnes. Conijcitur in carcerem, datur in quæstionem, apprehenditur reus, iam sine tergiversatione confessus complures à se patratas cædes, ac tum demum, capita è sacco exempta in vitulinam reuersa sunt formam, vbi homicidia poenæ meritæ patuerunt. Consimilem historiam audiui Hispano cuidam accidisse, qui, cum remotis arbitris, in recondito saltu, quempiam viatorem crumena atq; vita spoliasset, eumq; terra obruisset, existimans cum cadauere facinus quoque suum esse sepultum, incognitam, de cælo vocem hanc audiuit: **IN MAIORICA VINDICTA.** Territus hac voce, ne fortè in eam aliquando insulam mitteretur, militiæ nomen dedit. Naue conscensa in Italiam nauigaturus, tempestate
coorta

cœ orta reiectus est in Maioricam. Ibi, dum sibi maximè vult cauere, vitata omnium familiaritate, exscendit ad emendum ibidem in proximo loco caput vitulinum; quo itidem in cruentum humanum caput conuerso proditus, illico & vocis, & vindictæ diuinæ memor pœnas dedit. Est hæc historia præcedenti similis. Sed nihil est incredibile, idem sæpius accidisse. Cur non iterentur supplicia, si scelera toties repetuntur?

§. XII.

Caput piscis in caput Symmachi mutatum, in terrorem Theodorici regis.

Hac de causa etiam in vetustioribus consimilia leguntur. Tale enim etiam monstrum fuit, quod Platina testatur, Romæ contigisse. Summa Romæ duorum insignium virorum Symmachi & Boëtij (qui gener Symmachi fuit) erat ac præcipua auctoritas. Quamobrem euocauit eos Theodoricus rex Gothorum, iussitq; Ticinum venire. Ibi eos diu captiuos tenuit, quod impijs eius decretis aduersarentur. Neq; contentus fuit vinculis eos stringi, verum bona quoque illorum publicauit, tandemque etiam iniquissimè ambos iussit interfici.

§

fici.